FLORA.

60. Jahrgang.

№ 15. **Regensburg, 21. Mai** **1877.**

Inhalt. W. Nylander: Addenda nova ad Lichenographiam europaeam. (Finis). — M. Gandoger: Rosae novae Galliam austro-orientalem colentes. — Aus einem Briefe von Fritz Müller aus Brasilien. —

Addenda nova ad Lichenographiam europaeam.

Continuatio septima et vicesima. — Exponit W. Nylander.

(Finis.)

12. *Lecidea Hoglandica* Nyl.

Thallus cinereus tenuis vel tenuissimus, conferte rimulosus (vel subareolato-rimulosus), hypothallo nigricante limitatus; apothecia nigra planiuscula immarginata (latit. 0,5—0,7 millim.), intus obscura; sporae 8nae breviter ellipsoideae vel subglobosae, longit. 0,006—8 millim., crassit. 0,004—6 millim., paraphyses mediocres, epithecium fuscescens, hypothecium strato infero (tenui vel evanescente) et peritheciali fusco. Jodo gelatina hymenialis coerulescens (thecae dein nonnihil violacee tinctae).

Supra saxa quartzosa in Hogland (Wainio).

Esse videtur subspecies *Lecideae Kochianae* (Schaer.). Thallus nec K, nec Ca Cl, nec I reagens. Spermatia fusiformi-oblonga, longit. 0,0030—0,0035 millim., crassit. 0,0010—0,0015 millim., in sterigmatibus simpliciusculis.

13. *Lecidea asyndeta* Nyl.

Sit subspecies *Lecideae mollis* Whlnb., sed thallus cinereus tenuis conferte rugoso-inaequalis, rimulosus; apothecia sanguineo-

Universitätsbibliothek Regensburg urn:nbn:de:bvb:355-ubr03647-0231-6

atra superficialia plana (latit. circiter 1 millim.), firme marginata, margine (atro) saepius subcrenulato; sporae ellipsoideae, longit. 0,008—0,011 millim., crassit. 0,005—7 millim., paraphyses mediocres, epithecium et perithecium fuscescentia, hypothecium incolor. Jodo gelatina hymenialis coerulescens, vix nisi thecae tum tinctae et dein sordide violascentes.

In insula Hogland [1]) supra saxa feldspathica (Wainio).

14. *Lecidea epimarta* Nyl.

Thallus albidus, minute depresso-granulatus parcus (K flavens); apothecia fusca subobconica, supra planiuscula immarginata (latit. 0,5 millim. vel minora), saepius ferruginee ochraceo-suffusa, intus obscure ochraceo-pallescentia; sporae 8nae incolores oblongae minutae, longit. 0,006—9 millim., crassit. 0,0025—0,0035 millim., thalamium nonnihil ochracee tinctum, paraphyses gracilescentes sat parcae, hypothecium subincolor vel dilute ochraceum crassum solidum. Jodo gelatina hymenialis coerulescens, dein luteo-fulvescens (thecae praesertim tinctae).

Supra terram in montanis Scotiae, Appin (Crombie), socia crescens *Pycnotheliae papillaris*.

Species parva inter Biatoras singularis, ad stirpem forsan *Lecideae uliginosae* accedens. Apothecia subconferta, sat prominula, quasi tuberculiformia, sed supra plana, infra subangustata; lamina eorum tenuis nonnihil ochraceo-tincta, superius ochraceo-fuscescens (et granulationes epitheciales ita tinctae addito K mox in raphides mutantur, quod omnino est characteristicum). Thecae clavatae, supra crasse solidae. Hymenium altit. vix 0,05 millim., hypothecium altit. fere 0,30 millim.

15. *Lecidea segregula* Nyl.

Thallus albidus granulatus, e granulis convexulis (latit. 0,5 millim. vel minoribus) subareoliformibus (sparsis vel passim contiguis) constitutus; apothecia nigra plana marginata (latit. fere 1 millim. vel saepius minora), pruinosa (vel subnuda), intus albicantia, strato infero nigro; sporae 8nae ellipsoideae simplices, longit. 0,010—12 millim., crassit. 0,004—6 millim., paraphyses mediocres articulatae, epithecium dilute nigrescens, hypothecium

1) Occurrit ibidem quoque affinis et valde varians *L. Kochiana* (Schaer.), ad quam etiam est referendus n. 2285 coll. Lojka e Retyezat in Hungaria (nec ad *L. mollem* Whlnb.).

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr03647-0232-2

cum perthecio nigrum. Jodo gelatina hymenialis coerulescens, dein praesertim thecae vinose rubescentes.

Supra lapides graniticos ad Limoges (Lamy).

Forsan e stirpe *Lecideae parasemae*, quod incertum, nam spermogonia latent. Comparari possit analysi apotheciorum cum *L. crustulata* Ach., sed jam distat paraphysibus articulatis et sporis minoribus atque differt etiam magis thallus, qui ceteroquin K (Ca Cl) erythrinose tingitur.

16. *Lecidea umbriformis* Nyl.

Thallus cinerascenti-umbrinus tenuis areolato-diffractus subeffusus; apothecia nigra minuta (latit. 0,25 millim. vel saepius minora et difformia, oblonga vel subangulosa aut linearia), innata, a thallo non marginata; sporae 8nae incolores ellipsoideae simplices, longit. 0,011—17 millim., crassit. 0,008—11 millim., epithecium fuscescens, paraphyses graciles non confertae, hypothecium incolor (interdum infra vage fuscescens). Jodo gelatina hymenialis vinose fulvescens (praecedente coerulescentia obsoleta).

Supra saxum trachyticum in Mont-Dore (Lamy).

Spermogonia ignota. Thallus obscurus, Ca Cl nonnihil et praesertim K (Ca Cl) distincte erythrinose tinctus. Apothecia subimpressa, saepe 2—4 in singulis areolis thallinis planiusculis, varie angulosis. Arcte affinis est *Lecideae umbonatulae* Nyl. in Flora 1872, p. 365, quacum reactione thalli convenit et similiter in *L. umbriformi* vidi, ni fallor, *Endococcum triphractum* parasitulam (Flora 1872, p. 364), sed *L. umbriformis* hypothallum non habet nigrum visibile, apothecia non umbonata et sporas paullo minores.

17. *Lecidea albuginosa* Nyl.

Thallus albidus, sat tenuis (crassit. 0,2—0,4 millim.), rimulosus, sparse tenuiter albo-sorediosus, tenuiter nigro-limitatus; apothecia nigra marginata (latit. 1 millim. vel minora), margine firmo, epithecio glaucoalbido-suffuso plano, intus centro infra nigricante; sporae 8nae longiuscule ellipsoideae, longit. 0,018—24 millim., crassit. 0,009—0,010 millim., epithecium sordide lutescens, paraphyses mediocres, perithecium extus nigro-corticatum, hypothecium centro nigrum (vel fusconigrum). Jodo gelatina hymenialis (cum thecis) bene coerulescens.

Supra saxa quartzosa juxta rivulum ad Limoges (Lamy).

Universitätsbibliothek Regensburg urn:nbn:de:bvb:355-ubr03647-0233-7

Species bene distincta, accedens ad *Lecideam turgidam* Schaer. Thallus nec K, nec Ca Cl, nec I reagens. Spermatia bacillaria recta, longit. 0,009—0,016 millim., crassit. 0,0007 millim.

18. *Lecidea subcinerascens* Nyl.

Forsan subspecies *L. atrobrunneae,* thallo pallidiore cinereo-badio inaequali areolato-diffracto (crassit. 0,5 millim. vel tenuiore). Sporae longit. 0,011—15 millim., crassit. 0,005—6 millim.

Supra saxa granitica in insula Hogland (Wainio).

19. *Lecidea columnatula.*

Thallus sordide flavidus subgranulatulo-inaequalis, fere mediocris crassitiei (circ. 0,5 millim.), rimoso-diffractus, quasi e columnulis erectis connatis compaginatus (supra intusque K flavens); apothecia nigra superficialia planiuscula subimmarginata (latit. 0,5 millim.), juniora margine obtuso evanescente, intus albida vel corneo-albida; sporae 8nae incolores oblongae 1-septatae, longit. 0,012—16 millim., crassit. 0,004 millim., paraphyses non bene discretae, epithecium et perithecium nigricantia (nec K, nec Acido nitrico tincta). Jodo gelatina hymenialis coerulescens, dein vinose fulvescens.

Supra saxa micaceo-schistosa ad Kylemore (Larbalestier).

Species est propriae stirpis, cum nulla alia confundenda. Spermatia oblonga, longit. 0,0030—0,0035 millim., crassit. 0,0006 millim.; sterigmata articulato-composita et ramosula.

20. *Lecidea rupicola* Nyl.

Thallus glaucus tenuis opacus subrimulosus; apothecia pallescentia, livida aut livido-fusca, plana, marginata (latit. 0,5 millim. aut minora), margine thallino saltem spurio saepius cincta; sporae 8nae oblongae 1-septatae, longit. 0,010—11 millim., crassit. 0,004 millim., paraphyses fere mediocres, epithecium sublutescenti-granulosum. Jodo gelatina hymenialis coerulescens, dein vinose rubescens.

Supra rupes micaceo-schistosas humidas ad Kylemore (Larbalestier).

Fere non specie differt a *L. cyrtella,* quacum etiam spermatiis convenit. Considerari possit sicut Lecanora, sed semper longe distat a *L. crysibe.*

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr03647-0234-3

21. *Lecidea littorella* Nyl.

Thallus glauco-virescens tenuissimus rimulosus; apothecia luteo-pallida biatorina tenuia plana submarginatula (latit. 0,5 millim. vel minora); sporae 8nae oblonga 1-septatae, longit. 0,008—0,012 millim., crassit. 0,0035—0,0045 millim., paraphyses gracilescentes, epithecium et hypothecium incoloria. Jodo gelatina hymenialis coerulescens, dein vinose rubescens.

Supra rupes micaceo-schistosas ad littus lacus Lough Inagh haud procul a Kylemore (Larbalestier.).

Affinis priori, sed apothecia facie fere sicut in *Lecanora polytropa*. Gonidia vix in hypothecio versus perithecium occurrunt. Spermogonia ut in priore, sed sterigmatibus brevioribus et spermatiis nonnihil brevioribus.

22. *Lecidea valentior* Nyl.

Subspecies videtur *L. sanguineoatrae*, a qua vix differt nisi sporis constanter majoribus (ellipsoideis), longit. 0,012—17 millim., crassit. 0,006—8 millim.

Supra rupes quartzosas friabiles locis humidis suboccultis in littore lacus Lough Inagh (Larbalestier).

Thallus cinereus (subvirescens), tenuis, continuus, passim rimosus. Apothecia fusca immarginata planiuscula aut convexa (latit. circiter 1 millim.), saepe obtuse submarginata et margine (perithecio) pallescente.

23. *Lecidea Rhedonensis* Nyl.

Est quasi inter *L. lavatam* et *postumam* intermedia, sporis incoloribus (longit. 0,016—22 millim., crassit. 0,007—9 millim.); thallus cinereus vel obscure cinereus, depresse granulato-areolatus, hypothallo nigro passim visibili. Medulla I —. Vix species autonoma.

Supra saxa argillaceo-schistosa ad Rhedones (Rennes) in Gallia occidentali legit Brin.

24. *Lecidea Gymnomitrii* Nyl.

Thallus vix ullus; apothecia nigra concaviuscula marginata minuta (latit. circiter 0,2 millim.); sporae 8nae fuscae oblongo-fusiformes 3-septatae, longit. 0,018—36 millim., crassit. 0,007—0,011 millim., paraphyses graciles non regulares, epithecium parum

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr03647-0235-9

fuscescens, hypotheeium cum perithecio violascenti-fuscum vel fuscescens. Jodo gelatina hymenialis intensive coerulescens, dein vinose rubens.

Supra *Gymnomitrium concinnatum* vetustum in Mont-Dore (Lamy).

Species est e stirpe *L. sociellae*. Sporae interdum 5—7-septatae. Comparetur *L. scapanaria* Carringt.

25. *Verrucaria versipellis* Nyl.

Thallus luridus (vel lurido-pallescens vel lurido-cinerascens), squamulosus, squamulis adnatis (latit. 1 millim. vel saepius minoribus); apothecia pyrenio incolore (latit. 0,25 millim. vel minore), innato; sporae incolores minutulae oblongae (longit. 0,003—4 millim., crassit. 0,0010—0,0015 millim.) in thecis myriosporis fusiformibus (medio demum crassit. 0,04 millim.), paraphyses graciles confertae. Jodo gelatina hymenialis dilute coerulescens, dein vinose fulvescens.

Supra tegulas lateritias vetustas in Gallia occidentali, Maine et Loire, ad pagum La Renaudière (Brin).

Species distinctissima propriae stirpis vel quidem facile proprii generis. Spermogonia nondum visa. Peculiare huic est speciei apothecia demum supra indicari prominentia mamillari epithallo fuliginoso tecta (latit. 0,5—0,7 millim.), centro saepius depressulo (loco ostioli apotheciorum); tunc demum nigredo epithallina totam squamulam thalli (intus albam) obducit. Facies igitur hujus Lichenis valde est versiformis aut squamulis luridis vel pallidis planisque aut iisdem obtuse mastoideo-convexulis fuliginoso-nigris.

26. *Verrucaria maculosa* Nyl.

Thallus nigricans vel umbrino-nigricans, tenuissimus, continuus, maculiformis (maculas difformes, latit. 5 millim. vel majores, varie confluentes fingens); apothecia nigra (pyrenio dimidiato-nigro, latit. 0,25 millim. vel minore), prominula; sporae 8nae incolores fusiformes obsolete 3-septatae, longit. 0,024—30 millim., crassit. 0,003 millim.

Supra saxa granitica ad pagum La Renaudière (Brin).

Species est e stirpe *V. chloroticae*, etiam gonidiis conveniens, sed distincta thallo nigricanti-nebuloso et sporis tenuiter fusiformibus.

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr03647-0236-5

27. *Verrucaria submiserrima* Nyl.

Vix est nisi subspecies *V. pyrenastrellae*, apotheciis minoribus, sporis tenuioribus (longit. 0,016—19 millim., crassit. 0,004—5 millim., interdum obsolete spurie 3-septatis).

Supra corticem Ilicis ad Kylemore (Larbalestier).

Faciem habet quodammodo *Mycopori miserrimi*.

28. *Verrucarina sparsula* Nyl.

Thallus obscure olivaceus vel olivaceo-fuscus, minutissime granulosus, sparsellus; apothecia pyrenio integre nigro, sat tenui, subglobulosa (latit. fere 0,2 millim.), demum saepe supra nonnihil depressa; sporae 8nae incolores ellipsoideae 3-septatae, longit. 0,023—27 millim., crassit. 0,010—13 millim., paraphyses nullae. Jodo gelatina hymenialis vinose rubescens.

Supra lapides cretaceos ad Dorking in Anglia (Joshua).

Est species notis datis sat distincta, in stirpe *Verrucariae pyrenophorae* quaerenda, sed thallus gonimicus et fere sicut in *Collemopsi*. Accedere videtur ad *Pyrenidium*. Thecae subpyriformes; sporae juveniles interdum septis irregularibus. Anaphyses adsunt.

29. *Mycoporum pineum* Nyl.

Thallus fuligine levi vel obsoleta indicatus; apothecia peridio convexo nigricante (latit. 0,2 millim. vel minore), infra incolore; sporae 8nae fuscae oblongae 3—7-septatae, longit. 0,023—30 millim., crassit. 0,011—15 millim., medio constrictiusculae, paraphyses nullae distinctae.

Supra corticem pini socia *Verrucariae subcoerulescentis* in Finlandia, Pieksaemaeki (Norrlin).

Ad Morioleos Norm. sine dubio pertinet h. e. ad Fungos, licet gonidia inter hyphas fuligineas septatas conspiciuntur, sed haec facile *Protococci*. Lamina tenuis peridii fusca.

Observationes.

Cornicularia pubescens var. *hispidula* Ach. L. U. p. 617, Syn. p. 302 (*Scytonema atrovirens* var. *prolifera* Ag. Dispos. Alg. Suec. p. 39, Syn. Alg. Scand. p. 115) est Ephebe spinulosa Th. Fr. et est nominanda *Ephebeia hispidula* (Ach.).

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr03647-0237-1

Gyrophora crustulosa var. *depressa* Ach. Syn. p. 69 duas respicit species; scilicet specimen originale typicum Mosigii pertinet ad *Umbilicariam crustulosam* et specimen Schraderi ad *U. depressam*, cui hoc nomen servandum est, et facillime sporis oblongis (longit. 0,012—25 millim., crassit. 0,004—5 milim.) distinguitur ab *U. crustulosa*, quae sporas habet ellipsoideas (longit. 0,016—25 millim., crassit. 0,010—17 millim.). *U. depressa* occurrit in alpibus Europae mediae et in Pyrenaeis.

Lecanora confragosa var. *lecidotropa* (super saxa granitica in regione Lemovicensi eam legit. cl. Lamy) est notabilis thallo albo tenui rimoso et apotheciis lecideinis. Thallo K. flavente mox differt a *L. arenaria* (Hepp.). Accedit ad var. *aggregatam* (Bgl.).

Lecanora scrupulosa (Ach.). spermatia habet minora, sporas nonnihil minores (tamen longit. 0,012—0,020, crassit. 0,008—0,011 millim.), paraphyses crassiores (articulatas) quam *L. mesophana*.

Lecanora leprothelia Nyl. sit. *L. oculata* var.

Ad definitionem *Urceolariae subsordidae* in Flora 1873, p. 199, Obs. Pyr. or. p. 55, addendum est, thallum nec I, nec Ca Cl reactionem ullam offerre. Etiam in Haute Vienne lecta a cl. Lamy.

L. praecontigua Nyl. in Flora 1875, p. 300, est *Lecideae panaeolae* forma cephalodiis rarescentibus, ita ut in specimine primum examinato nulla adessent.

Lecidea ternaria (Nyl. Lapp. or. p. 151) saltem ut subspecies differat a *L. milliaria* Fr., jam sporis 3-septatis et gelatina hymeniali iodo coerulescente, dein thecis vinose fulvescentibus (quum hae in *L. milliaria* persistunt coerulescentes vel solum obscurantur). Nomen *trisepta* parum hic conveniat, nam adest jam exotica *L. triseptata*. Sed *trisepta* nominari possit var. *milliariae* qualis datur in Zw. Exs. 276 sporis longioribus et tenuioribus etc. differens a *L. ternaria*.

Lecidea enteroleucoides Nyl. in Flora 1869, p. 298, etiam in Gallia fuit lecta a cl. Lamy.

Lecidea subnivea dicatur *Rinodina nivea* Anzi Neosymb. p. 6 (n. 26). Esse videtur species e stirpe *L. spuriae*. Thallus K —. Apothecia (latit. 0,5—0,8 millim.) saepe caesio-pruinosa et margine spurio albosuffuso (inde subthallino); sporae longit. 0,015—20 millim., crassit. 0,007—9 millim. Jodo gelatina hymenialis coerulescens, dein thecae vinose rubescentes. Supra terram in alpe Italiae borealis (Anzi) et in Gallia occidentali (g. Richard).

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr03647-0238-6

Parmelia ciliata DC. facile propria species et ad eandem referenda sit *P. crinita* Ach. Syn. p. 196.

Stirps *Stictae pulmonaceae* rite distinguenda sit ut genus proprium *Lobaria*, et tunc *Stictina scrobiculata* evadit genus *Lobarina*.

Animadvertatur adhuc a Dre Ripart in Bullet. Soc. Bot. 1876 varios lichenes describi. Dicit auctor p. 258: Je me bornerai a citer ici les plus remarquables, parmi lesquels le genre *Rimularia*, dont je transcrirai la description originale de l'auteur —. J'ai fait d'après mes propres observations la description des autres." Quod non omnino verum, nam auctor definitiones meas transcribit *Lecideae inconcinnae, L. stigmatoidis, Lecanorae diphyes* et *L. diphyodis*. Et gravius quidem est, eum *Arthoniae mediellae* attribuere sporas 1-septatas (verisimiliter ante oculos habuit *A. patellulatam*), alia ut taceam.

Rosae novae
Galliam austro-orientalem colentes
auctore Michaele Gandoger.

1. *Rosa silvulicola* Gdgr. mss. — Gdgr. Herb. ros. europ. exsicc. Nr. 358! — Prostrata, aculeata, ramis rubentibus; foliolis parvis, rigidiusculis, atrovirentibus, obovatis, utrinque sensim attenuatis, ad costam mediam parce glandulosam subtus tantum villosis, simpliciter lateque serratis; petiolis pubescentibus, subeglandulosis, aculeatis; pedunculis glandulosis; calycis tubo obovato glabro; sepalis subintegerrimis, margine parcissime glandulosis, appendicibus filiformibus; stylis glabris, coalitis, disco sat conico; petalis albis, margine parum ciliatis; fructu parvo, obovato, basi valde depresso, laevi, purpureo.

Hab. in silva Talenceana prope Arnas, (Rhône) ubi frequens (Gdgr.!) — Haec species, cum duabus sequentibus pertinet ad gregem *R. repentis* Scop. fl. carn. I. (1772) p. 355, e sectione *Ripartia* Gdgr. Essai p. 10.

2. *Rosa ovato-cordata* Gdgr. mss. — Gdgr. Herb. ros. exsicc. Nr. 213! — Repens, ramis elongatis parce aculeatis, aculeis inclinatis; foliolis saturate viridibus, late ovato-rotundatis, utrinque obtuse rotundatis basi vero cordatis, ad nervos subtus villosis, costa crassa, serraturis simplicibus, ciliatis; petiolis villosis aculeatis parce glandulosis; pedunculis corymbosis, glandulosis; calycis

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr03647-0239-5

ZOBODAT - www.zobodat.at

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: Flora oder Allgemeine Botanische Zeitung

Jahr/Year: 1877

Band/Volume: 60

Autor(en)/Author(s): Nylander William

Artikel/Article: Addenda nova ad Lichenographiam europaeam 225-233